Oſtende quanam in proportione per hanc ſectionem orbitæ planetæ partes mediæ fiant maiores partibus circa apſidas?

In proportione ſemidiametri longioris ad breuiorem.

Sint enim in circulo partes æquales PO. & ND. illa apud Apſidem P. hæc apud longitudinem mediam D. Cum igitur iis reſpondeant de ſecta ellipſi, arcus PC. KE. iam ſupra dictum eſt, KE. eſſe æqualem ipſi ND (ſuppoſita diuiſione minutiſſima) erit igitur KE. etiam æqualis ipſi PO. Amplius dictum eſt, ſicut ſe habeat OM. ad MC. hoc eſt DB. ad BE. ſeu ſemidiameter lõgior PB. ad breuiorem BE ſic ſe habere PO, arcum circuli, ad PC. arcum ellipſis: vt igitur PB. ad BE. ſic etiam erit KE. arcus ellipſis in mediâ longitudine ad PC. arcum in Apſide.

Quid ſequitur ad hanc ſectionem orbitæ ellipticæ in arcus inæquales?

Hoc ſequitur, vt arcubus orbitæ circa ambas Apſidas ſimul ſumptis, minoribus exiſtentibus, & arcubus circa vtramque longitudinem mediam ſimul ſumptis, maioribus exiſtentibus, attribuantur pro menſuris morarum in iis, areæ æquales: cùm tamen illi ſimul ſumpti diſtent æqualiter à ſole cum his ſimul ſcriptis.

Sint enim æquales vt ſupra, PC. & RG. erunt etiam æquales areæ PCB. & RGB. Sint iterum æquales KE. & LI. inter ſe, maiores verò prioribus vt iam demonſtratum eſt; erunt etiam æquales areæ KEB. & LIB.

Iam verò demonſtratum eſt, vt ſe habet PB. ad BE. ſic ſe habere (in traditâ ſectione orbitæ) KE ad PC. Sunt igitur triangula BPC. & BEK. (rectilinea vel quaſi: [illegible]-τα, quia vt altitudo vnius BP. ad altitudinem alterius BE. ſic baſis huius KE. ad baſin illius PC. Quare areæ BEK & BPC. ſunt inter ſe æquales. Igitur & iunctorum BEK BIL. areæ ſunt æquales areis iunctorum BPC. BRG. Sed BPC. BRG. iunctæ ſunt æquales iunctis APC. ARG. quia altitu-

dines